

AD BASILIENSEM ACADEMIAM

negliguntur. Itaque cum gratitudinis officium, tanquam nobilissimæ pulcherrimæq; uirtutis, perpetuo mihi obseruandum proposuerim: erga illos uero, qui dignitate & fortunis excellunt, nec primo neque secundo modo gratus esse queam, ne tertio saltem quoque gratitudinis genere ingratius sim, (τέ τε πίτη, τέ τε τέταρτη τῶν ἀγρωμόνων οὐλοναχαθών,) summopere mihi cauendum existimo. Tertium enim hoc genus, quod uerbis gratitudinem testificatur, siue priuatim, siue (quod honestius est) publicè, quanto procliuus est illis quæ re ipsa aliquid gratiæ seu paris seu maioris, respondunt: ita neglectum maiorem reprehensionem meretur. Et hoc quidem consilio non ita pridem amplissimo Senatui Basiliensi, ut pro ijs, quæ in ciuitate uestra olim publicè priuateq; in me collata sensi, beneficijs, gratum ac memorem animum declararem, librum Eiconum cum nomenclaturis de piscibus fluuiatilibus consecraui. neque enim ineptum inclytæ ciuitati uestræ, ad maximum nostrarum regionum & totius ferè Europæ flumen Rhenum sitæ, & optimis annis amnibus piscibus abundantia, argumentum hoc fore iudicabam. Nunc uero eodem animo, uiri eximij, illustri profelorum Academiæ uestræ (quam parentis instar ueneror obseruoq;) Collegio, hæc nostra in Galenum Γρολεγόμων dedicare, & eorum simul, omniumq; Galeni operū, ut in hac editione prodeunt, patronos ac tutores nuncupare statui: id' que multas ob causas, inter quas prima & potissima hæc est: quod ego almæ Academiæ uestræ me nō modò clientem, sed alumnum uelutiq; filium & discipulum semper obseruantissimum libenter profitear. nam & adolefcens apud uos bonarum literarum ceu fundamenta ieci: & iuuenis postea artem medicam ex Galeni maximè libris, præceptores qui tum docebant (Albanum Torinum, & Sebastianum Sinkelerum) enarrantes audiui: ac demum post publicas disputationes honestum ab illustri medicorum collegio testimonium retuli. Hinc adeo est quod Academiæ uestræ, totiq; reipublicæ arctissimo perpetui cultus & obseruatiæ nexus obstrictus obligatusq; sum. Nam si patriæ suæ & parentibus debet unusquisque, quod in rerum natura est, & homo natus uiuit: scholæ uero ac præceptoribus, quod melius & sapientius uiuit: non minus his certè quam illis debet. Iam huic causæ (quæ uel sola ad hanc dedicationem ex gratitudinis officio mihi instituendam, satis momenti habebat) accedunt minores aliæ: quæ ipsæ etiam coniunctæ, quanvis sine illa, iustum occasionem (si non gratitudinis, ingenuæ tamen animi liberalitatis ratione) ad idem faciendū præbere poterant: nempe complurium tum in urbe uestra ciuum, tum in Academia professorum, optimorum sanè & doctissimorum hominum, priuatæ in me benevolentia, simulq; beneficia, & amicitia quorundam. Item insignis Academiæ uestræ præstantia, quæ cum in multitudine, tum in excellentia professorum omnis generis artium, scientiarum & facultatum, ut uocant, elucet. Grammaticos enim habetis, uiros in tribus linguis eruditissimos (ex quibus Thomas Platerus me puerum aliquando Tigrui docuit, cum Osualdi Myconij felicis memoriae, optimi sanè & doctissimi uiri, qui postea ecclesiæ uestræ præfuit, scholam frequentarem:) qui historicos ueteres, poetas, aliosq; authores, Latinè & Græcè interpretantur publicè. Alios, qui Ebraice linguæ præcepta enucleant. Alij in suis classibus differendi artes, rhetoricam & dialecticam disertissimè tradunt. Alij mathematicas scientias ex ipsis Græcis Latinisq; fontibus argutissimè explicant. His studijs paulatim apud uos instructi adolescentes, ac multis modis exercitati, ad philosophiæ etiam adyta admittuntur: & omnes naturæ causas, rerumq; naturalium rationes ac differentias; tum de moribus disciplinam, & rei familiaris rationem, ac denique rerum publicarum, ex ipsis Aristoteles libris docentes audire philosophos possunt. Postremò sic præparati, pro suo quisque ingenio, maturius aliquod studium, patriæ, aut reipublicæ, ad quamcunque diuinis destinatur, utile, siue ποιητική, ut medicinam: siue περὶ τὸν νόον, ut iuris prudentiam: siue theologiam Christianam, (quam ipsam quoque περὶ τὸν νόον à fine dicere malim, quam θεωρητική,) sibi deligit & capessit. Quodcunque autem horum elegerit, in ijs omnibus

CON. GESNERI PRAEFATIO.

omnib. doctores longè clarissimi non desunt. Itaq; multi quotannis egregiè instituti iuuenes, alij de suo in preparatorijs artib. profectu, alij in grauiorib. scientijs & facultatibus, post publicas disputationes ritusq; solēnes, laureas, titulos & testimonia honorifica accipiunt. Hinc est quod plurimi ad uos externi ac peregrini confluunt, & nobilium etiam uirorum filij: quos præter multijugam professorum doctrinam, alia quoque urbis uestræ commoda inuitant: ut sunt aëris & aquarum salubritas, situs amoenitas, urbis & ædificiorum maiestas, rerum omnium quæ ad uiustum requiruntur libertas, ciuium benignitas, & optima reipublicæ legumq; institutio. Quæ quidem dotes ac commoditates loci, Pium secundum Pontificem maximum quoq; impulerunt, ante annos hinc centum & duos ferè, ut Academiam in urbe uestra instituere, & maximis priuilegijs ornare uoluerit. Cùm enim doctissimus ille uir in urbe uestra, generalis concilij gratia ( cui duorum Pontificum schisma occasionem præbuerat ) per decem ferè annos uersatus esset, eruditione sua præclaram de se spem & opinionem singulorum excitauit, suacq; fide procerum animos ita deuinxit, ut ad supremum dignitatis gradum aditum sibi pateficerit. Mox ergo ut ad pontificium culmen euectus est, ne uirtutis suæ incunabula obscura et ignota esse pateretur, schoolam publicam, urbi uestræ honorificam in primis & utilem, toti deinde Reipublicæ Christianæ proficuā, erexit: magno quidem gratitudinis studio, maiore tamen conilio & iudicio. Nam cùm, ut ille ait, ponendæ domo quærenda sit area primū: Mineruæ, sapientissimæ iuxta & bellicosissimæ deæ exemplum secutus, non Scythiam aut Bœotiam aliquam, sed Athenas elegit, hoc est, locum apertum, perflabilem, puro limpidoq; aere abundantem, in quo nō corpora tantum diutissimè firma & salubria degent, uerum etiam animus ipse ( qui ex Galeni sententia corporis temperiem sequi solet ) artibus ac disciplinis facilius imbui & assuescere posset. Aere enim, quem assiduè inspiramus, calor natius euentialitur, et spiritus ( qui iuxta Hippocratem uel anima est, uel proximum animæ instrumentum ) reficitur atque nutritur. Itaque mirum non est, ex aeris temperie plurimum ingenij accedere & uicissim detrahi posse. Prætermitto nunc situs oportunitatem. Quæ quidem tanta existit, ut cùm urbs uestra Heluetiæ, imò totius Germaniæ horreis immineat, alimentis nunquam deficere, eademq; socijs suis liberalissimè in dies suppeditare queat. Delphon, Apollinis oraculo claram, in orbis meditullio antiqui positam esse fabulatur. Vos uero Basilæam uestram, coloniam Romanorum uere regiam, Palladis & Musarum domicilium, in Christiani orbis centro sitam, liberè gloriari potestis. Hinc enim, ueluti ex arce Trittonia, in Germaniam, Galliam & Italiam præcipuas Europæi Christianismi partes excurrere licet: & huc uicissim, tanquam ad tutissimum libertatis portum, ac sinceræ religionis sanctissimam aram sese recipere, optimis quibusque & innocentissimis uiris conceditur. Hoc ipsum si unquam alias, turbulentis profecto Germaniæ temporibus, aperte constitit. Nam cùm urbis uestræ custos genius ( quisquis ille est, sapiens certè & humanitatis studiosissimus est ) doctissimorum uirorum commercium & familiaritatem semper amarit: in tantis Reipublicæ motibus necessitatis primū, deinde etiam securitatis & humanitatis nomine, summos religionis ac libertatis defensores Basilæam usq; pertrahere facillimè potuit. Sed hæc fortasse cuiquam parerga uidebuntur, qui Musis socias & amicas esse Gratias nesciet. Omnis profecto humanitas & φιλανθρωπία ingenuis artibus & scientijs accepta est referenda: quib. quanto nropiù ad Deorum immortalium naturam accedimus, tanto plura propter institutionem & educationem debemus. Quam cùm Pius II. Pontifex in urbem uestram uerè pius, summopere affectaret, non locum tantum Academiæ instituendæ consecravit, uerum etiam priuilegia amplissima eandem fouendi, tuendi atq; conseruandi liberalissimè concessit: stipendia deniq; preclara doctorib. & professoribus largitus est, quæ etiamnum hodie bene merentibus à grata ciuitate non sine laude conferuntur atq; tribuuntur. Postularet à me hic locus, ut tum illorum qui hoc tempore in

AD BASIL. ACAD. GESNERI PRÆFATIO.

Academia uestra florent, nomina ac laudes singulatim recenserē: tum qui olim in eadem claruerint, plurimi sanè & præstantissimi uiri, non omittere. Sed & nomina mulitorum me latent, & tacere quæ pauca dicere de nonnullis, præstare mihi uidetur: præsertim cum & comparare inter se homines excellentes difficile sit: & si probè etiam facere id possem, inuidiosum: sine cōparatione autem simpliciter nominare singulos, id etiam ferè conferre est, & in eodem excellentiæ gradu, eos qui non parum differūt collocare. Quamobrem abstineo, tum illas ob causas, tum ne sim prolixior in tam numerosa doctissimorum uirorum enumeratione: quorum illi qui adhuc supersunt, doctrinam & ingenium suum eruditissimis libris edendis subinde ipsi declarant, (quod & defunctorum, nostra præsertim memoria, multi fecerunt) ut nostra prædicatione minimè sit opus. Illorum uero, qui diem suum obierunt, nomina ac laudes si quis desiderat, cognoscet in Bonifacij Amerbachij ( quem honoris causa nomino, i. c. nostra ætate incomparabilis, qui plurimis annis in Academia uestra docuit, nunc uero propter ætatem docendi prouinciam alijs tradidit,) ad Sebastianum Munsterum felicis memoriae, Ebraicæ lingue non ita pridem apud uos absolutissimum doctorem, epistola: quæ lib. 3. Cosmographiæ eiusdē Munsteri habetur. Hanc ego, uiri summi Academiæ uestræ amplitudinem et excellentiam cum considerarem, non temere me facturum iudicaui, si Γρολεγόμηνα hæc nostra in Galenū, clarissimo nomini uestro inscriberem, quanuis enim ea per se exigua, & uirtutib. uestris parum digna sint: accedit tamen ingens & dignissimum uobis corollariū, uniuersa quæ hodie extant scripta Galeni, medici & philosophi facile principis, Latinitate à diuersis doctissimis uiris donata: quæ nostri munusculi tenuitatem compensabunt. Nec metuo ne quis ex alieno liberalitatem mihi obijciat: nam hæc quoq; honesta esse potest, si nullius cum damno aut gloriæ detimento coniuncta sit. Sed neq; omnino alieni mihi Galenici libri sunt, in quibus tum intelligendis mihi, tum in aliorū usum edendis, aliâs non parum elaborauit. Ex huius quidē authoris lucubrationibus, ut dixi, cum in uestra Medicorum schola artem primum dídicí, decorum mihi futurū existimauit, ut ( quoniam typographis placuit me in eos præfari, quibus ego propter multa præclara eorum in me beneficia, quamuis probè tenuitatis meæ conscius, meam operam negare non sum ausus ) eas uniuersas unā cum Prolegomenis nostris qualibuscunq;, uobis potius quam alijs cuiquam dedicarem, ac uestro commendarem patrocínio: idq; eo libentiū etiam feci, quod in inclita urbe noua hæc earum editio ( iam quidem tertia ex Frobeniana officina) castigatissima et locupletissima hoc tempore prodeat: ex qua hactenus nulli, nisi uel uetusissimi, Græci Latiniq;, uel ex recentioribus optimi tantum libri, prodire sunt soliti: iñq; & plurimi, & maximi quicq;, & emendatissimi, ita ut nulla per totam Germaniam typographica officina, ne dicam Europā ( absit inuidia dicto) pari huius laudis cū illa dignitatis gradu conferri possit aut debeat: quam nunc parentum ( Hieronymi Frobenij inquam, & Nicolai Episcopij ) imò auctorū quoq; laudem, etiā filij, uiuis adhuc parentibus ( qui ut incolumes quām diutissimè uiuant opto, ) egregie sequuntur. Accipite igitur v. v. c. c. & perpetua fide mihi obseruandi, hilari fronte & placido uultu, quicquid hoc est muneris, ab animo uestrum omnium longè amantisimo obseruantissimoq; profectū, meq; præstantijs uestris cōmendatum habetote. V A L E T E, & me amate διονέ τη̄ μητρός αγαδημιας εγγον. D E V S O. M. uos omnes cum tota republ. in quam ego ceu alterā patrīam meam afficio, quām diutissimè conseruet ac tueatur. Tiguri. x.

Kal. Februarij. anno Domini M. D. L X I I .

*Index, qui ob breuitatem temporis & nundinas nimium uicinas absolutè adi nostris prælis non potuit, dabitur propediem in omnes uniuersim Galeni libros copiosissimus: ne etiam studiosi hac in re fidelem operam nostram desiderent.*

# CLARISSIMI MEDICI ET PHILOSOPHI EXIMII CON<sup>P</sup> GESNERI

PROLOGOMENA IN GALENVM, IN  
très partes diuisa.

Auctoris Damnatij post tamen  
permisum.

**I**N parte I. Gal. uita copiosè describitur, uidelicet nomē, patria, seculū, parētes, institutio prima &c. In ea præceptores: deinde artis medicæ studiū, præceptores in eādē, & circa demonstrationē ac ueritatē diligentia: tum familiares eius & peregrinationes explicātur: postea historiae aliquot præfagio rū eius & curationū recitantur. Dein eius ualetudo, morbi, et mors: deniq; mores, uirtutes & pietas cōmemorātur. Postremo omnigenæ doctrinæ eius præstātia, artis medicæ per ipsum illustratio, eiusq; lib. ratio in uniuersum, stylus & tractatio, et ad alias diuersas sciētias ex eorū lectiōe utilitas quæ redundet, uberrimè exponitur: & cum gloria eius prædicatione epilogus infertur. Non solum autem Galeni uitam & laudes prima hæc Προλεγομένων nostrorū pars continet: sed plurima in uniuersum tum ad totius medicæ artis laudes & rationem, tum etiam philosophiæ pertinentia: & absoluti futuri medici exemplar atq; ideam.

Inter primam & secundam partem, interseruntur Emblemata IIII.

I. De Græcis Galeni operum editionibus.

II. De Latinis editionibus eorundem.

III. De libris quibusdam Galeni non extantibus & quinam in illorum vicem usurpari possint.

IV. De nostri seculi scriptoribus qui communia quædam argumenta circa Galeni libros tractarunt.

Pars II. est Catalogus siue Enumeratio lib. Gal. eo ordine, quo in hac editione & prius, ex Io. Bapt. Mont. fere sentētia, excusi sunt. Singulis aut̄ adscriptis, qui & quot interpretes, nostra fere omnes & tate ad hoc usq; tēpus, Latinos fecerint, quoad eius rescire nos potuimus. Argumēta etiam, aut aliud quippiā circa singulorū inscriptionē cognitionē dignū in multis protulimus: & qui quo quis modo singulos, Commentarijs, annotationibus, scholijs, cōpendijs, aliterue illustrarint, admonuimus.

Pars III. Catalogo alphabetico enumerat ipsos scriptores, qui Galeni lib. quoquo modo, interpre tando, Commentarijs, annotationibus, &c. illustrarunt, ita ut quos & quot numero Galeni libros unusquisq; transtulerit, aut aliter circa eos aliquid præstiterit, statim appareat. Horum autem singulis plerunq; patriam, seculum, & alia quædam adscriptis, &c.

## IN GALENVM ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ PARS

### I. DE VITĀ IPSIVS, DOCTRINA ET scriptis in genere.



E Vita & doctrina Galeni, præclarí aliquot uiri nostro seculo scripsérunt: ut Hieronymus Gemusæus médicus & philosophus summus, acerrimo uir ingenio, philosophiæ olím in illustri Academia Basiliensi professor: Iulius Alexandrinus médicus Cæsareus, Philippus Melanchthon, & Andreas Lacuna: quorum omnium doctissima scripta hac de re perlegi, ita ut ē singulis ea, quæ ad ipsum præcipue Galenū pertinere iudicabam, decerpserim: in primis uero & plurima, ex Gemusæi in primam Galeni operum Basileæ ex Frobeniana officina editionem præfatione: in quo Galeni uitam atque doctrinam copiosissime & disertissimeq; descriptis. Non difficile quidem mihi fuisset, ex ditieris apud Galenum locis, quæ ad hanc rem pertinebant describere, sed malui (quod & facilius fuit) doctissimorum ante me hominum scriptis uti, cum ingenua confessione: ordine pro meo arbitrio mutato, & additis ubique multis, quæ illi omiserant, uel ex Galeni libris, uel aliunde: multis etiam omisis, quæ rhetorico artificio magis ad decantandas Galeni laudes: quam similius solidiusque ad uitam eius doctrinamq; describendam, prolata uidebantur. Nec puduit me multa uere, commodè eruditè ab alijs dicta, uel iisdem uerbis repetere: ut neque ipsos pleraq; partim ex Galeni partim alijs veterum libris mutuari. Sed ex altera quoq; eiusdem Gemusæi in Græcam Galeni operum editionem Basileæ publicatam, parce quædam decerpsti, & breuissimis sententijs inclusi, quæ ipse copiosius de eius doctrina persequitur.

## D E C L . G A L E N I

*Medicinae origo.* Medicinæ origo prima quæ fuerit, & eius incrementa usque ad Hippocratem: & ab Hippo et progres- pocrate rursus ad Galenum quæ eius facies, copiose persequitur Gemusæus, in præfatione La-  
sus ad Galenū usq;. tinorum Galeni operum. Ex quo mutuatus uidetur Lacuna in Epitomes suæ Galeni operum  
præfatione, breuius eadem complexus, his ferè uerbis: Artis medicæ inuentionem Græci ferè  
uniuersi, in deos ipsos, atque illorum amicos referunt. Tradunt quippe Aesculapium ab Apol-  
line patre institutum, filios suos postea medicinam docuisse: atque in hunc modum artem ipsam  
coepit diuinis auspicijs, successione quadam hæreditaria, à parentibus propagatam semper  
in liberos, ad Hippocratem usque (qui & ipse ab Aesculapio oriundus fuit) peruenisse. Cau-  
tum siquidem erat in illa Asclepiadarum familia, ne quis artem & industriam medendi, possel-  
litionem planè diuinam, à Deoq; solis ipsis concessam, cuiquam communem faceret, qui ab eo-  
dem non esset genere exortus, id quod fuisse in causa uidetur, ut peritos artis illius τῶν ιατρῶν  
τωνδρᾶς, hoc est, filios medicorum Græci semper uocarint. Hippocrates uero omnium primus  
dispersam prius artem (ut artis potius partes, & principia operaç;) collegit, & uniuersalia præ-  
cepta rationali methodo condidit: nobisq; uolumina octoginta reliquit, quæ incomparabi-  
lem doctrinam eius, uitæq; innocentiam testantur. Eum postea secuti sunt Diocles Carystius,  
Praxagoras, Chryslippus sophista, Erasistratusq; ex filia Aristotelis genitus, qui antistites ratio-  
nalis sectæ extiterunt. Nam sub Philino Coo, eodem ferè tempore, factio Empiricorum est or-  
ta: cuius fautores fuerunt Serapion Alexandrinus, Apollonius Antiochenus, & Menodotus:  
Qui sane dissidebant à Rationalibus: quòd illi quidem ratione simul & experientia uterentur  
ad inuestiganda presidia morbis ipsis congruentia: hi autem solo usu contenti essent eorum, quæ  
aliás aliquoties obseruauerant. Ab utrisque recesserunt ex æquo Methodici nuncupati, causa-  
rum abditarum indaginem (quas Logici summo studio explorabant) respuentes: nec tribuen-  
tes quicquam experimentis particularibus, quibus nitebantur Empirici. Reducebant autem, hi  
ut omnes particulares affectus ad generales duos, nempe astrictum & laxum: sic uniuersas cu-  
rations ipsorum, ad duas similiter, astrictionem uidelicet eorum quæ laxa essent, & relaxatio-  
nem illorum quæ astricta. Auspicio huic sectæ dedit Themison Laodiceus: absoluuit autem eam  
Theessalus ille Trallianus, qui pollicebatur se eductorum artem ipsam accuratissime uel sex men-  
sibus tantum. Post quos omnes tandem Galenus secutus, medicinam in tot sectas diuulsam la-  
ceramq; suæ integratam atque nitoris restituit: explodens quidem omnia peruersa dogmata, quæ  
grassabantur suo tempore, reuocans autem Hippocraticam rationem medendi, quæ iam plus  
quam sexcentos annos sepulta & neglecta fuerat. Sed nunc ceteris omissis, de solo deinceps  
Galeo dicamus, idq; copiosius accuratiusq; ut simul perfectum, uiuum & absolutum medici  
exemplar atq; idea in ipso eluescat.

*Galeni nomine.* τἀληνός oxytonum, uocabulum est adiectivum, tranquillum, placidum & serenum signifi-  
cans: quæ quidem uocabula Latini etiam hominum quorundam propria fecerunt, parentibus  
nimirum tales animi statum suis liberis omninibus. Et proculdubio Galeni etiam nostri pa-  
ter, uir eruditus, filio suo, quem in optimis quibusque disciplinis, quibus animi maximè tran-  
quillantur, omnesq; eorum perturbationes serenantur, instituendum proposuerat, non teme-  
re hoc nomen imposuit. Est autem γαληνή propriè illa tranquillitas, qua mare placidum, uen-  
tis ac fluctibus minimè obnoxium, planè quiescit, hanc grammatici deducunt τὰς τὸ γάλα, unde & λευκὴ γαληνὴ Homerum dixisse putant. Forsan autem γαληνός cum adiectivè acci-  
pitur tantum ultimam acuit, cum uero nomen proprium est, primam: sicuti etiam βούδος, ἀγν-  
τός, ἀστελφός, item γλωκός, χρυσός, ἀργός, appellativa quidem, oxytona sunt: propria uero facta  
retrahunt accentum, ut in Cyrilli libello, de ijs quæ accentu differunt, apparet. Sed hæc Gram-  
maticis relinquamus: quorum tamen obseruationes ac leges sæpe ab authoribus non obseruan-  
tur. nos quidem in excusis hactenus codicibus nullis τἀληνός pro paroxytonū reperimus: quan-  
uis ita scribendum ex aliorum priorum analogia videatur. Claudi prænomen ut ex Ro-  
manorū consuetudine ei adscitum apparet (solebant enim Romani omnes liberi duntaxat, ho-  
noris causa nominibus præmittere prænomina, ) ita nusquam ab eo usurpatum puto, tanquam  
ambitiosius forte, & non usitatum Græcis alijsq; populis.

*Patria.* Pergami natum esse Galenum (quanvis id nescio qui negarunt, quos Andreas Lacuna no-  
tat,) cum ex uarijs historicis, (& Ioānes Tzette, qui hanc urbem prope Troiam esse scribit) tum  
innumeris ipsis Galeni testimonij constat, apertissimè quidem, libro primo De compositio-  
ne medicamentorum secundum genera, Pergamum sibi patriam esse testatur, his uerbis. Hoc  
medicamentum non ex eorum numero est, quæ à me primùm composita sunt: sed iam annis  
multis ante, à rege nostro, Pergamensibus imperante, Attalo, uiro omnigenorum medicami-  
num studioso, &c. Similiter libro secundo De pharmacorum compositione secundum partes,  
sic ait: Nam & frigidorum fontium & niuis, multa Romæ est ubertas, quemadmodum apud  
nos in Pergamo. Et rursus eodem libro: Atq; ad hanc rem nostrum Pergamenum atramentum  
scriptorium præcellit, &c. Fuit autem Pergamus, uel Pergamum, Asiae ciuitas nobilissima, in-  
geniorumq; optimorum altrix: quæ diu quidem sub regibus Attalicæ familia florescens, po-  
stea Ro-

## VITA AC DOCTRINA.

stea Romanorum legibus paruit. Quare Galenus merito ab illa orisundum se gloria tur: & quod ciuitas illa amplissima utpote ad quadraginta hominum millia capax, & in regione probè temperata, Mysiæc uicina sit, alicubi tradit. Meminit eius in Apocalypsi diuus Ioannes: & Pergamenum uulgò dictum, in eadem uel Eumenes uel Attalus, primus inuenisse dicitur. In hac uero tam celebri ciuitate natus Galenus, in qua percelebre etiam Aesculapij dei medici fanum fuisse constat, nil miru si medicus longè celeberrimus euasit, non quod Aesculapium nos deum faciamus: sed quod in maximam remediorum obseruationem, & artis principia, illuc tum apud Aesculapij sacerdotes, tum alios fuisse probabile sit. Ægrorum enim decumbentium curationes per usitata ab ipsis remedia antiqua quadam consuetudine ad ipsos perlatae obseruabantur. Libro quidem septimo de compositione medicamentorum secundum genera, Asianum semetipsum nominat Galenus.

Vixit sub Marco Aurelio Antonino, Commodo, Lucio, & Seuero, Cæsaribus: ut apparebit infra in eius peregrinationibus M. Aurelius Antoninus quidem cum Galenus Romæ esset, obiit: & regnauit post eum, ipso Galeno teste, Seu erus, qui seipsum mutato nomine Antoninum uocauit. Eusebius tradit sub Cæsaribus Adriano, Antonino Pio, Marco & Commodo, claruisse Galenum. Suidas sub Marco & Commodo & Pertinace eum collocat, Io. Tzetzes sub Antonino Caracalla. Ex his autem omnibus primus est Adrianus, qui imperare cœpit anno Domini ducentesimouigesimo: ultimus Caracalla, cuius Imperij annus primus fuit, à nato Christo trecente simus, decimusquartus. Quod si à primo Adriani anno computes usq; ad primum Caracallæ, anni erunt 74. Conqueritur autem ipse ab initio Methodi medendi suo seculo artes bonas contemputui, & ueritatis inquisitionē nemini ferè curæ fuisse: disciplinas fugisse plerosq; omnes: pecunias, ciuilem potentiam ac uoluptatē expetiuisse, adeò ut pro insano haberetur qui sapientiæ studium quæreret, quo magis admiranda Galeni uirtus fuerit, cuius excelsum ingenium in tanta sui temporis corruptela, à ueritatis studio non fuerit auersum.

Generosam & nobilem Pergami fuisse familiam Galeni, ex ipsis uerbis, quæ in libro de cūrandis animi affectibus, leguntur, constat. Patrem habuit Niconem nomine, ciuem Pergami, opulentum: iustitia, frugalitate, temperantia, humanitate & clementia insignem, ab omni iracundia alienum, liberalem, modestum, & omnino optimum virum, quiq; probis omnibus semper admirationi esset: Græca lingua & uarijs disciplinis, præsertim Mathematicis, doctissimum, & studijs philosophicis deditum, unde & architecti dignitate functus est Pergami. Græcae quidē linguae peritissimus fuit, eamq; ad amissim tenuit: ita ut doctor etiam eius linguae & paedagogus fuerit. Callebat is Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Architecturam, simulq; (præsertim in senectute) rei rusticæ studiosus erat: quibus plerisq; artibus aius quoq; & proauus Galeni non uulgariter eruditus fuerant: & easdem etiam ipse à parente, doctore & pedagogo optimo hau sit: à quo ad annum decimumquintum suæ ætatis, grammaticam, logicam, & arithmeticam didicit. Cum uero iam adolescentiam ingressus Galenus, doctrinæ studijs ardenter quam cæteri condiscipuli de noctuq; operam daret, pater in agrum rei rusticæ studio concessit ubi cum iam ætate declinante agricultura delectaretur, triticum & hordeum aliquando feminauit, omnibus diuersi generis seminibus, quæ ipsis erant admixta, diligenter selectis, quo certè cognosceret, num ex ipsis mutatione lolium & ægilops nascerentur, an propriam hæc quoq; semina naturam haberent. Idem aliquando adipem & oleum recondit, ut illis quam antiquissimis ali quādo uti liceret. Et ut familiae suæ de edulij salubrioribus prospiceret, semina & fructus aliquos (ut amygdala, iuglandes, auellanas, legumina diuersa, triticum, in aqua prius macerare, aut elixerare solebat, ut inde an intumescerent, & quantum, & quam citè, perciperet: atque ita de eorum salubritate statueret. In unoquoq; enim seminum genere alia quidem (prosolii alijq; causis diuersis) coqui & intumescere facile solent, alia difficile, hæc minus, illa magis salubria sunt. Vita autem functus est natu, ut uidetur, iam grandior, priusquam omnino annum uicelimum Galenus attigisset. Et talis quidem Galeni pater fuit: mater uero usqueadeò iracunda, ut interdum etiam morderet ancillas, semperq; & uociferaretur & cum marito contenderet, id' que longè quidem odiosius, quam cum Socrate olim Xanthippe, mulier interim pudica, & circa rem familiarem augendam solicita.

Institutio prima Galeni & in primis disciplinis fuit, ut dictu est, ad annum usq; decimumquintum: intra quod tempus sub patre græmatica, arithmeticâ, geometriâ & astronomia eruditus est. In his disciplinis humanioribus usque ad eum ætatis annum enutritus, ad dialecticam inde contemplationem, ut soli deinceps philosophiæ uacaret, ab illo perductus est. Adeò autem natura promptus fuit & excellenti ingenio, ut uel primis auspicijs maximam de se exhiberet expectatio nem. Hanc patris liberalitas augebat, ita ut ætatis eiusdem cæteros plerosq; omnes superaret. Libro quidem secundo de differentijs pulsuum, in colloquio cum alijs quibusdam, tardum natura se esse dicit, & festinantes non consequi facile: sed tarditatē hanc fingebat, ne importunius à quibusdam ad homonymum ante distinctionem definiendum urgeret. Sic ei in logica theoria instituto, pater celebrum Stoicorū libros, præsertim uero Chrysippi proposuit, tantum autem profecerat,

## DE CL. GALENI

fecerat, ut admodum adolescens adhuc in illius syllogisticos libros Commentarium conscribeat. Ab eo tempore præparatus Mathematicis disciplinis, & omnis sapientiae organo instructus, philosophie studium. philosophorum scholas ingressus est, cum olim philosophiae studium principes tantum viri & reges tractarent: ut pluribus in perscripta à se Galeni uita Gemusæus noster edisserit. Et primum quidem Philopatoris stoici discipulum quendam satis diu audiuit, neque hoc temere aut fortuitò, sed optimo patris consilio factum arbitror, ut ante alias Stoicorum philosophorum argumenta & rationes audiret: qui & in dialecticis studiose ( et si minus accurate quam Peripateticis) uersabantur, & ad componendos animi affectus, aut potius excidendos, si fieri posset, & inducendam tranquillitatem, ac perpetuum uirtutis exercitium, plurimū studij ponebant: id quod in ea ætate, qua maximè uigent cupiditates & perturbationes animi, ad recte formandos Galeni mores, uitæq; moderationem, non parum conducebat. Scio uituperari Stoicos, qui requirant ἀπόθεσην: quæ tamen præcipienda forte fuerit, ut eius studio ad μετριοπαθεῖαν saltem (ubi ea conuenit, si non ubiq;) perueniamus. Qui enim optima & perfectissima sibi proponunt, ad ea eniendo & aspirando, si non finem propositi sui, medium saltem aut propiorem fini locum, plerumq; assequuntur. Postea Caium, qui disciplinam Platonicam complexus fuerat, cum is à ciuisbus suis ad negotia reipub. traheretur, ad breue solūm tempus, præceptorem habuit: optimū sane uirum, ipso teste, mansuetum & aditu facilem, quiq; Pergami solus ferè iusti & pecunijs inuicti hominis existimationem sustineret. Quam uero studiosus Platonis fuerit, & quantopere eius doctrinam admiratus, liquidò multis in locis præ se fert, plurimū eius doctrinæ tribuens, & diuinum ipsum appellans. Eundem cum Hippocrate medicorumq; omnium placitis, præ cæteris consentire, priuatim dicato rei huic uolumine, liquidò ostēdit. Eodē ferè tempore ciuem alium Pergamenum, Aspasij Peripateticī discipulum audiuit, qui post longam peregrinationem demum redierat: & post hunc, alium ab Athenis Epicureum: quorum omnium filij causa & uitam & disciplinam explorabat pater, unā cum eo ad illos assidue uentitans. Bene autem ei cessisse dixerim, quod ut primò à Stoico præceptore uirtutis studia animiq; tranquillitatem aliquam hausit, & mox à Platonico aliquam rerum diuinarū cognitionem, & deinde à Peripatetico naturaliū præcipue: (quamuis enim ex philosophis istis alias quoq; philosophiae partes singuli tractent, in illis tamen quas dixi excellunt:) postremò autem in Epicureum incidit, qui nimurum in uoluptate, non ut reliqui ferè in usu uirtutis felicitatē hominis collocabat. Quanuis autem persæpe in particularibus quibusdam ab Aristotelis opinione discedit Galenus ( sicuti à Platone etiam & Hippocrate suo, ut pote nulli sectæ iuratus,) circa humani præsertim corporis fabricam: in uniuersum tamen Peripateticam philosophiam, & secundum eam docendi demonstrandiq; genus, apprimè eum coluisse appetat, ut aliás, ita maximè in libello de libris proprijs, ubi enumerat conditos à se libros ad demonstrationem pertinentes, tum alios, tum quibus logica Aristotelis est interpretatus. In eodem quos in morali philosophia conscriperit libros: quos de logica Stoicorū: quos in Platonica philosophia, quos contra Epicurum: quos denique ad grammaticam & rhetoricam pertinentes, recenset: quorū omnium et si nihil ad nostram ætatem peruenit: in ijs tamen singulis, eum non modo institutum fuisse, sed etiam excelluisse, uel ipsæ lucubrationū eius inscriptiones præ se ferunt. Hactenus dixi de prima Galeni institutione: ex qua facile appareat eum non lucri aut ambitionis gratia ad studia literarum à parente destinatum fuisse: sed ut animo primis disciplinis instructo prius ac præparato, amabilis studio sapientiae deditus, reliquam ætatem tranquillam duceret. Nam in id repartam fuisse philosophiam affirmant, cum turbulenta sit activa uita, ut ad contemplationis studium prudentes homines sese conferrent. Sed aliter uisum fuit diuino consilio. Annū agebat septimum decimū, quando patris euidenti insomnio monitus medicinam est aggressus, cum philosophia illam coniungens: in primis uero naturalem philosophiam studiose excoluit, ut inde principia & causas uarijs in arte medica rebus, melius accommodare posset. Sic autem ipse de se alicubi: Felicitatem meam ( inquit ) quam beneficio paterno habueram, quamvis ego maiorem adhuc redderem, quod citius meliusq; reliquis omnibus, quæcumq; docebar ediscerem: nisi tamen per uniuersam adeò uitam, in illis medicinæ philosophiaeq; theorematibus me diligenter exercuisse, nihil præclarum excellensq; consequuturus eram, &c. Promouerunt & auxere huc feruorem cætera quoque, quibus adminiculis ad res magnas aggrediendas perficiendasq; magnopere est opus, cum & singulari esset ob patris liberalitatem eruditione, & ætate ad discendum idonea, & impensas unde disciplinis uacaret, suppeditatas haberet. His itaque rebus omnibus adiutum, minus admirabile est facile committones omnes intra paucos annos eum superasse: & eò usque tandem in arte progressum fuisse, ut sectæ cuiusvis ( quæ tum per artem ipsam oriae fuerunt) ipsi quoque principibus par esse posset, uelut ipsem ait: Ego uero ( inquiens ) reipsa, & publice & priuatim, apud eos uidelicet qui sectam quamlibet à me discere cupiebant, ostendi, in omnium sectarum scientia ( ne maius quicquam dixero ) me esse posthabendum nemini, quod si uni sectarum patrocinium ferre uelim, ita in promptu sunt mihi rationes, ut non uerear ne quis me conuincat, non enim, ut nonnulli faciunt, è libris eas didici, sed præstantissimis in quaue secta præceptoribus usus sum. Non multò quidem post cœptum ab eo medicinæ studium, mentis eius acti-